COPYRIGHT STATEMENT

AUTHOR: Hermann, Karl Friedrich

TITLE: De Platonis Menone

PLACE: Marburgi

DATE: 1837

BIBLIOGRAPHIC RECORD TARGET

The Classics Library
University of Illinois at Urbana-Champaign

CIC 6 / NEH Dittenberger-Vahlen Microfilming Project

Storage Number : 00-0218.6

Hermann, Karl Friedrich, 1804-1855.
De Platonis Menone / [Carolus Fridericus Hermann]
Marburgi : Elwertiana, [1837]
XVI p. ; 24 cm.

1. Plato. Meno. I. Title.

Language: Latin.
Note(s): Includes bibliographical references.
Pages XI-XVI are beyond the scope of this project and were not filmed.
"Carolus Fridericus Hermann ... Platonis Menonem" -- p. XIV.
"Indices Lectionum ... Academia Marburgensi per Semestre Hibernum MDCCCXXXVII-XXXVIII" -- cover page.

OCLC: nc

Technical Microfilm Data

Microfilmed by
Preservation Resources
Bethlehem, PA

On behalf of
The Classics Library
University of Illinois at Urbana-Champaign
Urbana, IL

Film Size:	35mm microfilm
Reduction Ratio:	14 : 1
Image Placement:	IA (IIA) IB IIB
Date filming began:	11/1/02
Camera operator:	CB

Pages XI-XVI are beyond the scope of this project and were not filmed.

2.5 mm ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz
1234567890

2.0 mm ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz1234567890

1.5 mm ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz1234567890

PM-MGP
METRIC GENERAL PURPOSE TARGET
PHOTOGRAPHIC

200 mm

150 mm


100 mm

A5

A4

A3

PRECISION[SM] RESOLUTION TARGETS



A & P INTERNATIONAL
715/262-5788 FAX 262-3823
577 LOCUST ST.
PRESCOTT, WI 54021

4.5 mm ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz
1234567890

3.5 mm ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz1234567890

3.0 mm ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz1234567890

INDICES
LECTIONUM

TAM

PUBLICARUM QUAM PRIVATARUM

QUAE IN

ACADEMIA MARBURGENSI

PER 1837/38

SEMESTRE HIBERNUM MDCCCXXXVII—XXXVIII

INDE A D. XXIII OCTOBR. USQUE AD D. XXIV MART.

HABENDAE PROPONUNTUR.

C. F. Hermann De Platonis Menone disput

MARBURGI,

EX OFFICINA ELWERTIANA.

ACADEMIA MARBURGENSIS

PRORECTOR CUM SENATU

S. P. D.

COMMILITONIBUS DILECTISSIMIS.

Inter omnes Platonis dialogos nullus est, Commilitones humanissimi, qui ad juventutis institutionem undequaque aptior videri possit quam Meno, qui quum fere nullas verborum sententiarumque singularum difficultates praebeat praeterque solitam Platonis elegantiam atque urbanitatem in dicendo hanc sibi peculiarem perspicuitatis et aequabilis cujusdam ductus laudem habeat, totus tamen eo cum artificio et subtilitate compositus est, ut legentis animum ab initio usque ad finem mirifice retineat, nec magis varietate rerum ac novitate delectet quam constanti atque accurata disputandi ratione doceat, imprimis autem Socraticae illius, quae omnium ore celebratur, methodi vim causasque tam luculenter aperiat, ut fuerit qui nullam aptiorem materiam formandis adolescentium ingeniis inveniri posse existimaret [1]). Sive igitur Vos ipsos etiam nunc erudiendos sive futuros juventutis magistros nobis proponeremus, operae pretium facturi visi sumus, si inter plurima alia, quae his indicibus continentur juvenilis disciplinae argumenta, etiam hujus dialogi interpretationem Vobis offerremus, unde sine magno labore et sermonis Attici usum haud mediocrem comparare, et doctrinae Platonicae gravissima aliquot capita ex ipso fonte haurire, et insigne disserendi docendique exemplum quasi coram cognoscere possetis. Sed quamvis haec omnia, quibus Menonem insignem esse diximus, vel pro puerorum captu non nimis recondita esse videantur, re ipsa experti sumus altius indagantibus totamque philosophiae Platonicae rationem animo comprehendentibus non contemnendos eundem scrupulos objicere, qui ut puerorum oculis facile recteque subtrahuntur, ita Vobis non sine piaculo absconderentur, quos ob eam ipsam causam commilitones nostros appellare solemus, quia socios nobis comitesque laborum in arduis et salebrosis locis superandis adjungimus parique nobiscum gradu in studiis literarum incedere volumus, nec tam alte latent, ut non Vos ipsos, si forte in eos incidatis, offendere possint; his igitur ne imparati occurratis, unam earum maximamque quaestionem, quae ad totius dialogi consilium et artificium pertineat, per hanc praefandi opportunitatem ita illustrare conabimur, ut et rei ipsius dignitas et interpretum qui adhuc in ea elaboraverunt dissensus flagitare videntur. Nam quum omnis in illo dialogo disputatio tam recto firmoque gressu procedat, ut neque abesse quidquam neque superesse dixeris, totaque argumentandi ratio sibi ut quae maxime constet, controversia ab omni parte agitata eum tandem exitum habet, quem neque exspectaverit quisquam neque appareat quomodo cum reliquis Socratis et Platonis placitis conciliemus; unde factum est, ut multi quidem verbis scriptoris caecе confisi Platoni tribuerent quae proficisci ab eo omnino non potuerint [2]), alius autem de totius dialogi auctoritate dubitaret [3]), alii denique per ludibrium atque irrisionem non tam ad docendum quam ad redarguendum castigandumque scriptum esse arbitraren-

---

1) Engel, Versuch einer Methode, die Vernunftlehre aus Platonischen Dialogen zu entwickeln, Berl. 1780 8. — 2) Bruckerus Hist. crit. philos. T. I, p. 723: *virtus quia divina res est, doceri non potest sed a deo confertur;* cf. Spanhemius ad Callim. p 75 et ad Julian p. 99, Geddes Essay on the composition and manner of writing of the ancients particularly Plato p. 106, Wolf. ad Origen. Philosoph. p. 126, Fischer. ad Aeschin. Dialog. p. 21. Füllebornius in Beitr. zur Gesch. der Philosophie St. X, p. 143—147. Tiedemanni Argum. dial. Platon. p. 129 etc. — 3) Astius in Platons Leben u. Schriften, Lips. 1816. 8, p 394 sqq. —

tur[4]), quorum etsi rationes universas propter spatii temporisque angustias in examen vocare non possimus, primarium tamen locum, unde omnis haec existimatio pendet, ita exigere conabimur, ut simul etiam fidem nuper alio loco datam[5]) pro virili parte solvamus.

Locus est in ipso dialogi fine, ubi quasi summam disputationis comprehendere et rationem subducere Socrates videtur: *εἰ δὲ νῦν ἡμεῖς ἐν παντὶ τῷ λόγῳ τούτῳ καλῶς ἐζητήσαμέν τε καὶ ἐλέγομεν, ἀρετὴ ἂν εἴη οὔτε φύσει οὔτε διδακτὸν, ἀλλὰ θείᾳ μοίρᾳ παραγιγνομένη ἄνευ νοῦ οἷς ἂν παραγίγνηται*: quae verba, jam per se gravissima, eo magis nos advertere debent, quo majorem vim non modo ad illius sermonis argumentum et consilium, sed ad totius philosophiae Platonicae indolem dijudicandam habent, ipsumque doctrinae moralis cardinem et diuturnas philosophorum lites quam proxime attingunt. Multis enim apud antiquos disceptatum est, quod etiam Horatius Lollio suo percontandum commendat[6]):

virtutem doctrina paret naturane donet;

eamque quaestionem licet et ipse Horatius[7]) et plurimi vel ante vel post eum optime intellexerint ita rectissime solvi posse, ut et natura et doctrina et exercitatione opus esse atque ita demum perfectae virtutis exemplar exsistere posse statuerent, ubi haec tria convenerint inque unum quasi coaluerint[8]), initio tamen valde ambiguam et controversam videri necesse erat immeritoque profecto dialogi scriptorem Astius reprehendit, quod Menoni sophisticae disciplinae alumno hanc potissimum quaestionis formam tribuerit, num doceri possit virtus, an non doceri sed exercitando comparari, an neque exercitatione neque doctrina sed natura an alio denique modo hominibus contingat[9]). Quippe ut taceamus, quod ex Aristotele constat, revera ita quaesitum esse[10]), vix aliter evenire poterat eo tempore, quo primum doctrinae moralis nomen inter mortales auditum est; quos quum consentaneum esset, quod in nostro dialogo dicitur, si quam artem doctrina indigere crederituri essent, etiam doctores ejus requirere[11]), necessario sequebatur, ut non tantum antequam sophistae se virtutis magistros profiterentur, ingenium atque exercitationem ad eam sufficere censerent, sed etiam posterius multi in ea persuasione permanerent, quum majores suos sine doctrinae ope ad tantum virtutis fastigium pervenisse viderent, cui ne doctrina quidem quidquam accedere posse sperarent, quaeque sophistae docerent, ab hac ipsa norma moribusque majorum haud raro ita recederent, ut auditores suos abalienare magis a vera virtutis via quam ad eam perducere viderentur[12]). Hi igitur politici homines, quorum exemplar nunc Plato Anytum proponit[13]), quotidianum vitae usum majorumque exempla formandis ad virtutem ingeniis sufficere rati doctrinam virtutis ullam esse negabant adolescentesque ejus studiosos ad optimorum civium consuetudinem moresque publicos ediscendos ablegabant[14]), a sophistarum autem disciplina deterrebant eorumque professionem non modo ridebant, verum etiam rivalitatis odio, ut ait Plato[15]), tanquam corruptelam juventutis

---

4) Tennemannus in System d. platon. Philosophie T. IV, p. 113, Morgensternius in Comm. quid Plato spectaverit in dialogo qui Meno inscribitur componendo, Halis 1794. 4, Socherus über Platons Schriften, Monach. 1820. 8, p 177, Stallbaumius in utraque Menonis editione, quarum altera prodiit Lipsiae 1827. altera Gothae et Erfordiae 1836. 8 etc. — 5) In disp. de Socratis magistris et discipl. juvenili, Marb. 1837 4, p. 8. — 6) Epist I. 18. 100; cf. Seneca de Otio c. 31, Maximus Tyr. Diss. XXXIII et XXXVIII, Plutarchus T. IX, p. 386 Hutt., Anonymus Pythagoreus in Galei Opuscc. p. 726 sqq. et Orellii Opuscc. Gr. sentent. T. II, p. 226 sqq., Muret. ad Aristot. Eth. Nicom. II, 1, T. III, p. 240 Ruhnk. quosque praeterea laudarunt viri sup. not. 2 citati. — 7) Odar. IV. 4. 33. — 8) Sic jam Aristoteles Politic. VII 12. 6: *ἀλλὰ μὴν ἀγαθοί γε καὶ σπουδαῖοι γίγνονται διὰ τριῶν, τὰ τρία δὲ ταῦτά ἐστι φύσις, ἔθος, λόγος*, cf. Diog. L. V. 18 et Stob. Ecl. Eth. p. 70 et 246; deinde Isocrates de Permut. §. 185, Cicero de Invent. I. 4, Seneca Epist. CX extr., Quinctilianus III. 5. 1, Apollonius Tyan. Epist. II, Tacitus Dial. de Orator. c. 33, Syrianus apud Spengel. Artt. Scr. p. 196, Plutarchus de Educ. p. 2 A aliique, quorum et Wyttenbachius ibidem p. 73 et Netscherus ad Cic. pro Archia c. 1 testimonia collegerunt. — 9) L. c. p. 400. — 10) Eth. Nic. I. 9. 1: *ὅθεν καὶ ἀπορεῖται, πότερόν ἐστι μαθητὸν ἢ ἄλλως πως ἀσκητὸν, ἢ κατά τινα θείαν μοῖραν ἢ καὶ κατὰ τύχην παραγίνεται*: cf. X. 9. 6: *γίνεσθαι δὲ ἀγαθοὺς οἱ μὲν οἴονται φύσει, οἱ δὲ ἔθει, οἱ δὲ διδαχῇ*, et Mor. Eud. I. 1: *πότερον φύσει γίνονται πάντες εὐδαίμονες . . . ἢ διὰ μαθήσεως, ὡς οὔσης ἐπιστήμης τινὸς τῆς εὐδαιμονίας, ἢ διά τινος ἀσκήσεως . . . ἢ τούτων μὲν κατ' οὐδένα τῶν τρόπων, δυοῖν δὲ θάτερον ἤ τοι καθάπερ οἱ νυμφόληπτοι καὶ θεόληπτοι τῶν ἀνθρώπων ἐπιπνοίᾳ δαιμονίου τινὸς ὥσπερ ἐνθουσιάζοντες, ἢ διὰ τύχην*. — 11) P. 89 D; cf. Xenoph. Sympos. II. 6: *καὶ ὁ μέν τις αὐτῶν εἶπε, ποῦ οὖν εὑρήσει τούτου διδάσκαλον; ὁ δέ τις, ὡς οὐδὲ διδακτὸν τοῦτο εἴη· ἕτερος δέ τις, ὡς εἴπερ τι καὶ ἄλλο καὶ τοῦτο μαθητόν*. — 12) Cf. de Geer, praes. van Heusde, diatribe in politices Platonicae principia, Traj. ad Rh. 1810. 8, p. 3–33. — 13) Cf. Fréret in Memoires de l'Acad. d. Inscr. T. XLVII, p. 212 et Groen van Prinsterer Prosopogr. p. 135. Ridicule Maximus Tyr. Diss. IX. 3, T. I, p. 154 Reisk. hominem sophistis annumerat, qui omnium acerrime in sophistas invehitur p. 91 sqq. — 14) Meno p. 92 E; cf. Alcib. I. p. 110 E, Apol. Socr. p. 19 E, Theag. p. 128 A. — 15) Republ. VI, p. 493 A.

totiusque rei publicae perniciem acerrime persequebantur [16]); sophistae contra, ut Protagorae apud Platonem exemplo apparet [17]), virtutem doceri et posse et debere quanta poterant contentione affirmabant, utque semper in altercationibus studiisque contrariis fieri solet, eo usque confidentiae et vanitatis procedebant, ut neque ingeniorum neque exercitationis rationem habentes solam disciplinam ad omnem virtutem et sapientiam consequendam satis esse jactarent [18]): nec defuerunt qui hoc operae compendium libenter arriperent frequentesque ad illorum scholas commearent [19]); qua in rerum conditione profecto satis digna controversia fuit, quae Socratis et Platonis ingenia exerceret eamque decisionem acciperet, quae omni nimietate temperata suum cuique ex bono et aequo tribueret. Et Socrates quidem quid de ea re censuerit, secundum Xenophontem dubium esse nequit; qui nulla magis de causa ab aequalibus suis et ipse sophistis annumeratus esse videtur [20]), quam quia virtutem pariter ut literas disci posse censuit [21]), tantumque aberat ut magnos illos viros, qui majorum memoria rem publicam egregie rexissent, solius ingenii bonitate excelluisse censeret, ut quum de Themistocle sermo incidisset, ridiculum esse diceret, si quis rem praestantissimam fortuito evenire putaret [22]), ingenia autem quo meliora essent, eo majore cultu et disciplina indigere docuit [23]), et quidquid virtutis in homine esset, doctrina et exercitatione crescere ait [24]), quo facto licet ingeniorum diversitatem minime negaret [25]), primus tamen curae et diligentiae tribui [26]), et a sophistis quidem ea re discessit, quod doctrinam sine exercitatione irritam existimavit [27]), ipsum tamen virtutis fontem tam clare in scientia et cognitione posuit [28]), ut profecto mirum accidere debeat, si aut alium ejus auditorem aut ipsum Platonem aliorsum transire diversamque ejus originem et naturam statuere videamus. Sed de reliquis ejus discipulis non est cur solliciti simus; si quidem et Critonis et Simonis dialogi, quorum apud Diogenem hoc argumentum commemoratur, ut virtutem doceri posse discendoque viros bonos exsistere negarint [29]), non diversi fuisse videntur ab eo, qui etiam nunc et Platonis et Aeschinis nomina mentitur, de Virtute, quem quod Boeckhius utrique ademtum ad Simonem referre conatus est [30]), et ipsum ita tantum accipimus, ut ipso Diogene teste [31]) huic quoque antiquitus per errorem tantum tributum esse statuamus eodemque jure in alia bibliotheca etiam alius Socratici Critonis nomen ferre potuisse contendamus [32]); utque hoc in suspicione positum relinquamus, illud certe quovis pignore posito asserimus, neque Socraticum quendam ex eorum numero, qui quidem genuini appellari solent [33]), virtutem a doctrina sejungere potuisse, et illum qui exstet dialogum ex ipso demum Platonis Menone ita excerptum esse, ut pro concesso sumat, quod nobis quum maxime quaerendum propositum est [34]); quod si ad illius sententiam existimandam nihil nisi unius scioli opinionem confert et ipsius potius auctoritas ex illius interpretatione existimari debet, ipsa re ad Platonem, unde profecti sumus, reducimur. Hujus autem sententiam primo quidem adspectu admodum ambiguam manere facile confitemur; qui quum bis hoc argumentum tractaverit, in Protagora et in Menone, in eo quidem uterque dialogus consentit, ut eos, qui se virtutis doctores offerant, nullos esse significet, in reliquis

---

16) Meno p. 91 C; cf. Republ. VI, p. 487 sqq. et Isocrat. de permut. §. 243, ut mittam Aristophanis Nubes, quae fabula tota in hoc argumento versatur. — 17) Protag. p. 319 sqq. — 18) Ibid. p. 318 A: *ὦ νεανίσκε, ἔσται τοίνυν σοι, ἐὰν ἐμοὶ συνῇς, ᾗ ἂν ἡμέρᾳ ἐμοὶ συγγένῃ, ἀπιέναι οἴκαδε βελτίονι γεγονότι καὶ ἐν τῇ ὑστεραίᾳ ταὐτὰ ταῦτα, καὶ ἑκάστης ἡμέρας ἀεὶ ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐπιδοῦναι:* cf. Cratyl. p. 384 C et Theaetet. p. 151 B. — 19) Meno p. 91 D; cf. Hipp. Maj. p. 282 C. — 20) Aeschines adv. Timarch. §. 173; cf. Rötscheri Aristophanes u. s. Zeitalter p. 247 sqq. — 21) Xenoph. Mem. IV. 2. 20. — 22) Ibid. § 2; de Themistoclis disciplina cf. Plut. V. Them. c. 2. — 23) Ibid. IV. 1. 3. — 24) Ibid. II. 6. 39. — 25) Ibid. III. 9. 1; cf. I. 6. — 26) Ibid. III. 9. 2: *νομίζω μέντοι πᾶσαν φύσιν μαθήσει καὶ μελέτῃ πρὸς ἀνδρείαν αὔξεσθαι.* — 27) Ibid. I. 2. 19. — 28) Cf. Brandis Grundlinien der Lehre des Socrates, in Niebuhrii Rh. Mus. T. I, p. 131. — 29) Diog. L. II. 121 et 122. — 30) In Plat. Minoem. Hal. 1806. 8, p. 43 sqq. — 31) Diog. L. II. 64: *πάντων μέντοι τῶν Σωκρατικῶν διαλόγων Παναίτιος ἀληθεῖς εἶναι δοκεῖ τοὺς Πλάτωνος, Ξενοφῶντος, Ἀντισθένους, Αἰσχίνους, διστάζει δὲ περὶ τῶν Φαίδωνος καὶ Εὐκλείδου, τοὺς δ' ἄλλους ἀναιρεῖ ἅπαντας.* — 32) Simili modo etiam *περὶ νόμου* dialogum, quem probabiliter eundem cum Minoe Pseudo-Platonico Boeckhius esse statuit, et Critoni et Simoni Diogenes tribuit. — 33) Hoc enim nomine, *τὸν γνήσιον Σωκράτους χορόν*, Themistium secuti (de Praefect. c. 5, p. 447 Dind.) eosdem appellamus, quos nuper Ritteri temeritas imperfectorum Socraticorum appellatione notavit; inter hos autem Antisthenes imprimis *διδακτὴν ἀπεδείκνυε τὴν ἀρετήν*, teste Diogene Laërtio VI. 14 et 105. — 34) Cf. Boeckh. l. c. p. 41 et 47 et Ast. Pl. L. u. Schr. p. 501. Socheri opinio (über Plat. Schriften p. 188), qui ipsum Platonem primus Menonis lineas eo dialogo descripsisse suspicatur, sua sponte evanescet, ubi ejus sententiam a Platonica prorsus abhorrere apparuerit. —

tamen nescio quomodo ipse sibi ita contradicit, ut Ciceronis illam querelam de inconstantia sua ratam facere videatur[35]). Nam quum in Protagorae initio negare videatur, quod sophistae contenderant, virtutem doceri posse, ad extremum eo redit, ut scientiam ejus esse demonstret, quo pacto omnium maxime doceri debeat[36]), in Menone contra, postquam initio dixit doceri posse, modo scientia et cognitione uteretur[37]), in altera parte hoc ipsum negat verbisque quae superius posuimus, non magis doctrina quam natura comparari virtutem ait, sed si cui contigerit, divinitus contigisse affirmat; neque in his tantum sed etiam alibi ita disputat, ut modo omnia, quae virtutis praemia haberi solent, a sapientia et prudentia humana repetat[38]), modo insignissima virtutis exempla divino numini et cuidam sortis felicitati accepta referat[39]). Qua in re illud primum quaeri potest, quid intersit inter naturam et divinam illam sortem, quum ea quoque, quae naturaliter contingunt, divinitus data videri possint[40]); multo autem magis nos ea sententia advertit, qua omnem doctrinam et institutionem ad virtutem tollere ejusque adeptionem soli instinctui et quasi furori alicui relinquere videtur, si quidem eandem ejus conditionem esse declarat quam vatum et poëtarum, qui et ipsi nullo rationis adjumento divinitus correpti caeco quodam animi impetu ad egregia carmina verique notitiam rapiantur[41]), quod etiamsi non cum Aristotele ad casum et fortunam referamus[42]), tamen et homine ad cognoscendum cogitandumque nato indignissimum simulque iniquissimum foret, quod recte apud Platonem Protagoras monet[43]), virtutis defectum in homine reprehendi adeoque in culpam crimenque converti et poenis coërceri, cujus nanciscendae in ipso potestas nulla insit. Quanquam hoc de natura tantum Protagoras dicit, cujus dona quum ea ipsa re a divina sorte differre videantur, ut illi tribuamus quae una cum homine nata sint, huic autem quae inter ipsum vitae cursum quasi extra ordinem accipiat, ita se aliquis expedire possit, ut nasci quidem haud exigua homines ad virtutem facultate statuat[44]), plerosque tamen inter sensuum irritamenta exemplorumque pravitatem corrumpi a rectaque via aberrare existimet, nisi quis divina ope quasi sustentetur; idque quum etiam aliis nonnullis Platonis dictis confirmari videatur[45]), non inter recentiores modo sed etiam inter veteres quum aliis tum ipsi illi Menonis excerptori ita arrisit, ut re vera philosophum omnem virtutis actionem a ratione et doctrina sejunxisse censerent[46]), Christianae autem ecclesiae doctores nonnulli, sicut omnino semper operam dederunt, ut quasi semina et scintillas quasdam verae fidei apud Platonem investigarent[47]), eo usque processerunt, ut divinae sortis vocabulo Sanctum Spiritum ab eo occulte significari suspicarentur[48]). Verum

---

35) Nat. Deor. I. 12. — 36) Protag. p. 361 B. — 37) Meno p. 87 C et 89 D. — 38) Euthydem. p. 281 B: *οὐ μόνον ἄρα εὐτυχίαν ἀλλὰ καὶ εὐπραγίαν, ὡς ἔοικεν, ἡ ἐπιστήμη παρέχει τοῖς ἀνθρώποις ἐν πάσῃ κτήσει τε καὶ πράξει:* cf Protag. p 345 A. — 39) Politic. p. 309 C: *τὴν τῶν καλῶν καὶ δικαίων πέρι καὶ ἀγαθῶν καὶ τῶν τούτοις ἐναντίων ὄντως οὖσαν ἀληθῆ δόξαν μετὰ βεβαιώσεως, ὅταν ἐν ταῖς ψυχαῖς ἐγγίγνηται, θείαν φημὶ ἐν δαιμονίῳ γίγνεσθαι γένει:* cf. Legg. I, p. 642 C. — 40) Sic jam apud Xenoph. Mem Socr. II, 3 18 pedes dicuntur *θείᾳ μοίρᾳ πεποιημένω πρὸς τὸ συνεργεῖν ἀλλήλοις*, neque ipse Plato utrumque semper distinxit, siquidem et Legg. I, p. 642 C *αὐτοφυῶς θείᾳ μοίρᾳ οὔτι πλαστῶς ἀγαθοὺς* dixit et Republ. II, p. 366 C conjunxit eum qui *θείᾳ φύσει δυσχεραίνει τὸ ἀδικεῖν* et qui *ἐπιστήμην λαβὼν ἀπέχεται αὐτοῦ*, eumque sequitur Epinomidis scriptor p. 992 C: *ὁπόσοι γὰρ θεῖοι καὶ σώφρονες ἅμα τῆς ἄλλης τε μετέχοντες ἀρετῆς φύσει, πρὸς δὲ τούτοις ὅσα μαθήματος ἔχεται μακαρίου πάντα εἰληφότες:* Aristoteles autem claris verbis ita censet Eth. Nicom. X. 9. 6: *τὸ μὲν οὖν τῆς φύσεως δῆλον ὡς οὐκ ἐφ᾿ ἡμῖν ὑπάρχει, ἀλλὰ διά τινος θείας αἰτίας τοῖς ὡς ἀληθῶς εὐτυχέσιν ὑπάρχει*, neque aliter intellexit Maximus Tyrius diss. XXXVIII. 4, quo usus sum in disp. de Socr. magistris p. 28 — 41) Praeter Menonem p. 99, C cf. Ion. p. 544 D, Timaeus p. 71 E, Apol. p. 32 C, quaeque hac de causa disputarunt Morgensternius in Comm. de Plat. Republ. III, epim. 2, p. 296 sqq, Kappius in Plat Erzichungslehre p. 91 sqq. et Schrammius in disp. quae inscr. Plato poëtarum exagitator seu Platonis de poësi poëtisque judicia, Vratisl. 1830. 8. — 42) Cf. Eth Nic. X. 9. 6 et Magn. Morr. II. 8, p. 185 C ed. Du-Vall. Utramque tamen distinguit noster p. 99 A, quocum cf Legg. IV, p. 709 et Hippodamum apud Stob. Floril. CIII, p. 340 Gaisf: *τὰν μὲν ὦν ἀρετὰν ἔχει διὰ τὰν θείαν μοῖραν, τὰν δὲ εὐτυχίαν διὰ τὰν θνατάν.* — 43) Protag. p. 323 C sqq. — 44) Cf. v. c. Musonium apud Stob. Ecl Eth. p. 426. — 45 Republ. VI, p. 493 A: *ὅτι περ ἂν σωθῇ τε καὶ γένηται οἷον δεῖ ἐν τοιαύτῃ καταστάσει πολιτειῶν, θεοῦ μοῖραν αὐτὸ σῶσαι λέγων οὐ κακῶς ἐρεῖς:* cf. Legg. IX, p. 875 C et XII, p. 951 B. — 46) Sic v. c Themist. Orat. XXI, p. 299: *χαλεπὸν γὰρ τὸ χρῆμα . . . καὶ οὐ προτίθησιν Ἡσίοδος μὲν τὴν τραχεῖαν ἐκείνην ὁδὸν καὶ ἀνάντη . . . Σωκράτης δὲ ἐκεῖνος θείᾳ μοίρᾳ μόνῃ παραγενέσθαι εἰς ἀνθρώπους.* — 47) Cf. Löffleri Versuch über den Platonismus d. Kirchenväter, Züllichau 1792. 8, Clauseni disp. quae inscr. Apologetae ecclesiae Christianae Platonis ejusque philosophiae arbitri, Hafn. 1817. 8, et Ackermanni librum: das Christliche im Plato, Hamb. 1835 8. —. 48) Cf. impr. Justin. Martyr. Cohort. ad Gr. c. 33 et 37 et Clem. Alex. Stromatt. V, p. 588. —

enim vero quo quis accuratius Platonicorum placitorum orbem cognoverit, eo certius intellige in hoc quaestionis exitu illum acquiescere non potuisse; quem quum omnino mirum foret non in tali philosophiae parte, qualem Socrates attingere noluisset, sed in ea, cujus ipse fundamenta posuisset solusque in ea regnare videretur, ita a magistro recedere, ut quod ille ineptum dixisset (cf. not. 22) τὸ προεστάναι πόλεως ἀπὸ ταὐτομάτου παραγίγνεσθαι τοῖς ἀνθρώποις, ipse tanquam summum poneret, tum in scientiae pretio statuendo adeo cum illo consentire videmus, ut quaecunque ratione carerent quamvis ceteroquin optima omnia tamen turpia esse judicaret [49]; quod si eam virtutem, quae divinitus eveniret, opinione tantum niti censuit (cf. not. 39), ne de ea quidem honorificentius existimare poterat, sed quod in Phaedone dixit omnem, quae a prudentia remota esset, simulacrum tantum et umbram virtutis exhibere [50], in illam quoque cadebat, tantumque aberat ut humana sapientia ad virtutem perveniri negaret, ut identidem Socraticum illud jactet, ὅτι ταῦτα ἀγαθὸς ἕκαστος ἡμῶν, ἅπερ σοφὸς, ἃ δὲ ἀμαθὴς, ταῦτα δὲ κακός [51]. Quid quod ne sequioris quidem aetatis Platonicos haec ejus sententia latuit, quos quum alioquin vel plus quam Platonem divinis viribus tribuisse constet, in hac certe causa suum scientiae officium reliquisse testantur Procli verba, quibus omnem virtutem a ratione duce pendere agnoscit [52], neque in ipsius Platonis disputatione in Protagora, si recte intelligatur, quidquam inest, quod diversam a Socratica sententiam arguere possit [53]; de Menone autem, licet in omnia alia abire videatur, eo minus desperamus, quo magis ea quae ibidem de natura boni, de ambiguitate reliquorum quae vulgo bona inter homines habeantur, de sapientiae vi et efficacia ad faustum rerum eventum hominumque actiones regendas disseruntur, cum ipsa disciplina Socratica et Platonica adeo consentiunt [54], ut si nihilominus exitus ab hac desciverit, non modo reliquis Platonis scriptis, sed, quod ne falsarium quidem deceat, sibi ipsi turpissime contradicturus sit. Quae quum ita sint, facile apparet, omnium minime reprehendendos esse eos, qui quum nec secum ipsum philosophum pugnare debere nec dialogum ab eo abjudicari posse intelligerent, ad ironiam confugerunt Platonemque, quum de universa virtute dicere instituisset, in extremo sermone de una virtute civili judicare statuerunt, quia hanc scilicet sophistae unam laudaverint maximeque sectati sint; quae quum non scientia sed una opinatione et hariolatione niteretur ideoque ex casus et fortunae arbitrio suspensa esset, veram Platonis sententiam hanc fuisse volunt, ut ostenderet civilem istam virtutem non adeo magni esse faciendam, quoniam non ad scientiae constantiam et aequabilitatem, qualis in virum probum et sapientem conveniat, extollatur, sed caeco quodam impetu in agendo sese regi patiatur, idque profecto non prorsus contra philosophi mentem disputant; num tamen hac sola observatione omnes difficultates expediverint locique, quem illustrandum proposuimus, vim ac sententiam exhauserint, alia quaestio est, quam ipsam nunc paulo accuratius pertractare aggrediemur.

Nam ut statim dicamus, quid nobis a viris doctissimis, quorum superius not. 3 nomina posuimus, in hac causa parum observatum esse videatur, vix intelligimus, quomodo Platonem, qui alias summa quaeque ad divinam sortem refert [55] nec nisi bona divinitus fieri posse quanta

---

49) Republ. VI, p. 506 C. — 50) Phaed. p. 69: χωριζόμενα δὲ φρονήσεως . . . μὴ σκιαγραφία τις ᾖ ἡ τοιαύτη ἀρετὴ κ. τ. λ. — 51) Cf. Lach. p. 194 D; Alcib. I, p. 125 A. — 52 Proclus ad Plat. Alcib. I, p. 185 Creuzeri: καὶ γὰρ αἱ ἀρεταὶ πᾶσαι τῆς φρονήσεως ὡς ἡγεμονευούσης ἐξήρτηνται καὶ περὶ ταύτην ὑφεστήκασι, καὶ ἀπὸ ταύτης ὥρμηνται, καὶ ἔτι τὸ διαγιγνώσκειν τά τε ἀγαθὰ καὶ τὰ κακὰ μόνης ἐστὶ τῆς φρονήσεως ἔργον, ὡς αὐτὸς ἔν τε Χαρμίδῃ καὶ ἐν Μένωνι δείκνυσι: ubi quem respicere videtur Charmidis locum, est p. 166 sqq. – 53) Qua de re pluribus disputatum est in Allgem. Schulzeitung 1830, No. 41 et 42. — 54) Primarius locus est p. 88, ubi quod ait πάντα γὰρ τἀγαθὰ ὠφέλιμα, iisdem verbis legimus apud Xenoph. Mem. IV, 6. 8 et Plat. Republ. II, p. 379 B; quod autem praeterea monet et corporis et animi dotis τῶν πρός τι esse et nisi prudentia et sana institutione regantur, non magis in bonum quam in malam partem converti posse, adeo respondet iis, quae et a Socrate apud Xenophontem IV, 2. 12 sqq. et ab ipso Platone Republ. VI, p. 491 et Legg. II, p. 661 B exponuntur, ut illic certe serio disputari fatendum sit; Stallbaumium, qui ibi quoque cavillationem odoratur, haud scio an Brandisius in errorem duxerit, qui Socrati utile pro bono, prudentiam pro virtute esse negat, quem tamen quum satis refutasse nobis videamur in Gesch. et System d. platon Philos. T. I, p. 251, nunc quidem hac de re tacere malumus. – 55) Apol. p. 33 C, Phaedo p. 58 E, Protag. p. 322 A, ubi ne quis Protagoram ex sua potius quam Platonis mente hominem θείας μοίρας μετέχοντα facere arbitretur, cf. Phaedr. p. 230 A et Legg. VI. p. 766 A; eodemque pertinet Aeschinis locus apud Aristidem de Rhetor. T. II, p. 20: εἰ μὲν τινι τέχνῃ ᾤμην δύνασθαι ὠφελῆσαι, πάνυ ἂν πολλὴν ἐμαυτοῦ μωρίαν κατεγίγνωσκον, νῦν δὲ θείᾳ μοίρᾳ ᾤμην μοι τοῦτο δεδόσθαι ἐπ' Ἀλκιβιάδην, ubi omnino de toto hoc argumento ita disputatur, ut etsi Aristides Platonem invidiose impugnat, nostram tamen sententiam duobus modis confirmet; si quidem et Platonem ostendit, quod

potest contentione docet [56]), hoc ipso divinitatis vocabulo adeo abusum esse velint, ut in ludibrium et contemtionem eorum, quos divino spiritu afflatos dicat, verterit; quod etsi per ironiam tantum fieri respondeant, ipsa opinor ironiae vis in eo cernitur, ut aut laudi demus alicui quod rectius vitio verteretur, aut appellatione utamur, quae contraria sit ei quam re vera in mente habeamus, quorum neutrum, si recte video, in eum locum, de quo agimus, conveniet. Sive enim serio divinos judicabat, qui sine doctrinae ope aliquid recte facerent, hoc non simulata sed vera laude dignum habere poterat, sive quis id ipsum *κατ' ἀντίφρασιν* tantum iis tribui statuat, ut *θεῖοι* appellentur, vereor ut hac ratione etiam reliquos illos locos expedire possit, quibus eandem sententiam tam claris verbis expressam legimus, ut nemini dubitare liceat, quin Plato bonos viros divinitus exsistere posse existimarit [57]); quod autem Morgensternius inde potissimum ironiam patere arbitratur, quia viri boni, qui sine doctrina fiant, cum vatibus hariolisque et toto poëtarum genere comparentur, de quibus Plato ita senserit, ut non multum ex hac comparatione honoris in illos redundare videatur, id quamvis speciosissime dictum sit, propius tamen consideratum omnem ironiae suspicionem ab hoc loco removebit. Ipsum quidem Morgensternium si audiremus [58]), omnia quae passim apud Platonem de divino poëtarum furore leguntur, ex vulgari tantum loquendi consuetudine desumta et ipsa pariter ad cavillationem redirent, callidissimo scilicet consilio ita comparatam, ut nec poëtas offenderet vulgique opinionem sequi videretur; huic vero artificio ut in certis hominibus obiter perstringendis locus fuerit [59]), illic certe, ubi de toto genere judicandum esset, nihil aut imbecillius aut philosophica gravitate indignius inveniri poterat hac ironia, quam jam antiquitus fuerunt qui omnino praeter necessitatem Socrati obtrudi viderent [60]), neque inter recentiores defuerunt [61]) qui accurata omnium dictorum comparatione intelligerent Platonem furorem poëticum pariter atque amatorium serio agnovisse tantumque abfuisse ut eum reprehenderet, ut verum poëtam sine aliquo numinis afflatu fieri posse negaret [62]); ac licet in hoc genere propter argumentum, in quo plerumque elaboraret, imitationis multa etiam reprehendenda invenerit [63]), illud profecto temere fecit Morgensternius ut vates quoque et fatidicos eadem ludibrii suspicione comprehenderet, quorum consortio illos ipsos potius honestari veramque scriptoris mentem aperiri decuisset [64]). Socratem certe vaticiniis totique arti augurali non minimum tribuisse, Xenophontis testimonio satis constat [65]), neque Platonem hac in causa praeceptoris vestigia reliquisse quum aliis ipsius judiciis [66]) tum imprimis Timaei loco apparet [67]), ubi quum claris verbis perscriptum legamus, hariolationem divinitus datam esse ad resarciendam imprudentiam humanam nec sana mente quenquam sed aut dormientem aut delirantem ad eam ferri, negare non possumus philosophum etiam praeter sapientiam in divina ope viam ad verum adipiscendum positam putasse; idem autem poëtis quoque ab ipso concessum esse ex alio loco non minus claro prodit, ubi vel praeteritarum rerum temporisque fabulosi memoriam non sine numine eos tradidisse ait [68]); quod si ex poëtarum vatumque similitudine

---

modo monuimus, doctrinae plurimum tribuisse, et reliquos Socraticos comprobat, de quo nunc agimus, nec divinae sortis vim contemsisse, sed praeter doctrinam illam quoque magistro ducem fuisse existimasse. — 56) Republ. II, p. 379 B. — 57) Republ. II, p. 366 C et VI, p. 492 E; Legg. I, p. 642 C et XII, p. 951 B etc. — 58) Comm. de Plat. Republ. p. 298 — 59) Ut v. c. de Prodico in Protag. p. 315 E: *πάνσοφος γάρ μοι δοκεῖ ὁ ἀνὴρ εἶναι καὶ θεῖος*, de Simonide in Republ. I, p. 331 E: *σοφὸς γὰρ καὶ θεῖος ὁ ἀνὴρ* etc. — 60) Cf. Gesch. u. System d. platon. Philos T. I, p. 326. — 61) Cf. van Heusde Initia Philos. Platon T. I, p. 122 sqq., Nitzsch ad Plat. Ion. p. 16 sqq., H Ritteri Gesch. d. a. Philos. T. II, p. 233, Ed. Mülleri Gesch. d. Theorie d. Kunst bei den Alten T I, p. 44 etc. — 62) Phaedr. p. 245 A: *ὃς δ' ἂν ἄνευ μανίας Μουσῶν ἐπὶ ποιητικὰς θύρας ἀφίκηται, πεισθεὶς ὡς ἄρα ἐκ τέχνης ἱκανὸς ποιητὴς ἐσόμενος, ἀτελὴς αὐτός τε καὶ ἡ ποίησις ὑπὸ τῆς τῶν μαινομένων ἡ τοῦ σωφρονοῦντος ἠφανίσθη.* — 63) Legg. IV, p. 719 C: *παλαιὸς μῦθος ὅτι ποιητὴς ὁπόταν ἐν τῷ τρίποδι τῆς Μούσης καθίζηται, τότε οὐκ ἔμφρων ἐστίν, οἷον δὲ κρήνη τις τὸ ἐπιὸν ῥεῖν ἑτοίμως ἐᾷ, καὶ τῆς τέχνης οὔσης μιμήσεως ἀναγκάζεται ἐναντίως ἀλλήλοις ἀνθρώπους ποιῶν διατιθεμένους ἐναντία λέγειν αὑτῷ πολλάκις κ. τ. λ.* De ipsa *μιμητικῇ* cf Sophist. p. 236 et Republ. III, p. 392 sqq. et X, p. 595 sqq. — 64) Probe enim distinguendi sunt quos nunc dicit *χρησμῳδοὶ* et *θεομάντεις* a vulgari *χρησμολόγων* et *μάντεων* genere, qui artis tantum et memoriae ope vilem quaestum faciebant; cf. Lobecki Aglaoph p. 979, Böttigeri Ideen zur Kunstmythologie T. I, p. 105, Nitzschii Melett. de Hist. Homeri T. I, p. 163. — 65) Mem. I, 1. 2 et 19; IV. 3. 12 et 7 10. — 66) Apol. Socr p. 33 C, Sympos. p. 202 E, Politic. p. 290 C etc. — 67) Tim 71 E: *οὕτω δὴ κατορθοῦντες καὶ τὸ φαῦλον ἡμῶν, ἵνα ἀληθείας πῃ προσάπτοιντο, κατέστησαν ἐν τούτῳ τὸ μαντεῖον, ἱκανὸν δὲ σημεῖον ὡς μαντικὴν ἀφροσύνῃ θεὸς ἀνθρωπίνῃ δέδωκεν· οὐδεὶς γὰρ ἔννους ἐφάπτεται μαντικῆς ἐνθέου καὶ ἀληθοῦς κ. τ. λ.* — 68) Legg. III. p 682 A: *λέγει γὰρ δὴ ταῦτα τὰ ἔπη κατὰ θεόν πως εἰρημένα καὶ κατὰ φύσιν· θεῖον γὰρ οὖν δὴ καὶ τὸ ποιητικὸν ὂν γένος ὑμνῳδοῦν πολλῶν τῶν κατ' ἀλήθειαν γιγνομένων ξύν τισι Χάρισι καὶ Μούσαις ἐφάπτεται ἑκάστοτε.* —

etiam virtutis originem existimat, vix dubitari poterit, quin hanc quoque bona fide et sine ullo ludibrio ad divinam sortem et quandam humanae imbecillitatis compensationem retulerit. At, inquit Stallbaumius, virtus de qua hic agitur non universa est, sed civilis, quam Plato etiam aliis in locis ita descripsit, ut a vera virtute eodem intervallo distare existimanda sit, quo scientia (ἐπιστήμη) ab opinionis fluctuatione (δόξῃ) sejuncta est; idque si eo tantum consilio monuit, ut non unicam virtutis adipiscendae viam apud Platonem per divinam gratiam patere indicaret, sed Socraticae illi per scientiam et rationem pretium suum integrum manere, nos quoque consentientes habet; sin id simul egit, ut hac observatione virtutis divinitus acceptae minorem dignitatem statueret quam ejus quae prudentia et cognitione niteretur, sortemque divinam, quam Plato dicit, nihil aliud esse significaret nisi casum illum et opinationem, qua vulgus hominum ad recte agendum pervenit, veremur ne eorundem dictorum auctoritate, quibus ad suam sententiam confirmandam utitur, refutari possit. Et Reipublicae quidem locus p. 493 A, quantum nos videmus, eorum numero, de quibus Plato dicit: ὅ τι περ ἂν σωθῇ τε καὶ γένηται οἷον δεῖ ἐν τοιαύτῃ καταστάσει πολιτειῶν, θεοῦ μοῖραν αὐτὸ σῶσαι λέγων οὐ κακῶς ἐρεῖς, non civitatum rectores comprehendit, in quibus civilis tantum virtus cernatur, sed eosdem, quos superius p. 490 E dixerat: σμικρὸν δέ τι ἐκφεύγει οὓς δὴ καὶ οὐ πονηροὺς ἀχρήστους δὲ καλοῦσι, hoc est philosophos, quos quia in corrupta civitatis conditione recta disciplina uti non posse videt, si qui exstiterint, divinitus exstitisse colligit; eosdem autem quod interdum, si divinitus contigerit [69]) etiam respublicas recturos adque divini exemplaris formam composituros esse ait, id ipsum documento est ei nec civilem facultatem adeo spernendam visam esse, ut eam, modo divino dono potius quam humanis exemplis niteretur, ab universa virtute sejungendam putaret. In altero vero loco Politici p. 309, quem eo potissimum consilio Stallbaumius adhibuisse videtur, ut quae quis divinitus de bonis et malis sentiat, opinione tantum niti eaque re longissime a scientia distare ostenderet, nescio quomodo neglexit verba μετὰ βεβαιώσεως, quibus ipsis discrimen divinae ejusmodi opinionis a vulgari, ut nobis videtur, satis magnum indicatur; quae quum ex Platonis sententia nulla magis re scientiae cedere videatur quam firmitate et constantia, quam homo ratione tantum sibi comparare possit [70]), hunc ipsum defectum divina opera quasi compensari ostendit ita, ut si quis divinitus regatur, eum non minus firmiter incedere significet quam qui rationem ducem habeat; idque non ad actiones modo humanas verum etiam ad cognitionem pertinere, ut si quis eam divinitus accipiat, perinde sit ac si ipse rem aut invenerit aut didicerit, insignissimo Phaedonis loco apparet [71]), unde sequitur, ut quo arctius virtutem cum cognitione jungamus, eo certius etiam illam pariter ut hanc divinitus contingere posse constet. Omnino casui et fortunae obnoxia esse quae divino numine fiant, et ipsi rei naturae repugnat et Platonis placitis manifesto contrarium est [72]), neque eo confugere licebit, quod, nisi egregie fallimur, Stallbaumio in iis quae de civili virtute dixit obversatum est, ut hanc virtutem, quae divinae sorti accepta referatur, eandem censeamus cum ea quam Plato a genuina et vera disjunctam δημοτικὴν τε καὶ πολιτικὴν ἀρετὴν appellat [73]); nam ut mittamus iis, qui θείᾳ μοίρᾳ boni fieri dicantur, eximium quoddam virtutis genus tribui [74]), illa virtutis species, quam vulgarem philosophus appellat, usu et consuetudine nititur [75]), idque ipsum cum opinione commune habet, quam Plato ex iteratarum perceptionem memoria exsistere docet [76]), haec autem est, quae dialogi initio ἀσκητὴ dicebatur, quam ne quis cum nostra confundat, et Aristotelis auctoritas vetat, qui utrumque genus clarissime distinxit (cf. not. 10, et Platonis, qui [77]) in Re-

---

69) Republ. IX, p 592 A: οὐ μέντοι ἴσως ἐν τῇ πατρίδι, ἐὰν μὴ θεία τις τύχη ξυμβῇ: cf. VI, p. 500 D et Legg. IX, p. 875 C. — 70) Phileb. p. 59. — 71) Phaedr. p. 85 C: δεῖν γὰρ περὶ αὐτὰ ἕν γέ τι τούτων διαπράξασθαι, ἢ μαθεῖν ὅπῃ ἔχει ἢ εὑρεῖν (cf. disp. de Socratis magistris p 37) ἢ εἰ ταῦτα ἀδύνατον, τὸν γοῦν βέλτιστον τῶν ἀνθρωπίνων λόγων λαβόντα καὶ δυσελεγκτότατον ἐπὶ τούτου ὀχούμενον ὥσπερ ἐπὶ σχεδίας κινδυνεύοντα διαπλεῦσαι τὸν βίον (hoc ad opinationem pertinet), εἰ μή τις δύναιτο ἀσφαλέστερον καὶ ἀκινδυνότερον ἐπὶ βεβαιοτέρου ὀχήματος ἢ λόγου θείου τινὸς διαπορευθῆναι: ubi cf. Wyttenbach. p. 226. — 72) Politic. p 279 D: τὸ κατὰ ταὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχειν ἀεὶ καὶ ταὐτὸν εἶναι τοῖς πάντων θειοτάτοις εἶναι προσήκει μόνοις: add. quae sup. not 42 diximus. — 73) Cf. Phaed. p. 82 B, pluraque in Act. Societ. Gr. Lips. T. I, p. 6. — 74) Legg. I. p. 642 C: τό τε ὑπὸ πολλῶν λεγόμενον ὡς ὅσοι Ἀθηναίων εἰσὶν ἀγαθοὶ διαφερόντως εἰσὶ τοιοῦτοι, δοκεῖ ἀληθέστατα λέγεσθαι· μόνοι γὰρ ἄνευ ἀνάγκης αὐτοφυῶς θείᾳ μοίρᾳ ἀληθῶς καὶ οὔτι πλαστῶς εἰσὶν ἀγαθοί: cf. X, p. 904 D. — 75) Republ. X, p. 619 C. — 76) Phileb. p. 38 B: cf. Theaetet. p. 194 B et Legg I, p. 645 E. — 77) Republ. VII, p. 518 E. —

publica[77]) reliquas virtutes, quas exercitatione comparare liceat, prudentiae tanquam rei divinae ita opposuit, ut miro modo secum ipse pugnaret, si illis quoque divinam originem et indolem assignaret. Accedit alius in Legum libro secundo[78]), ubi pari fortunae praedicatione conjungit eos, quibus prudentiam rectarumque opinionem firmitatem adipisci contigerit, qui quum iidem sint, quos in Politico *θεῖον καὶ δαιμόνιον γένος* appellari vidimus, certum erit in Menone quoque non per ludibrium sed serio eandem *ἐπιστήμης* et *εὐδοξίας* vim ad recte agendum statui, quodque illic contra opinionem dicere videatur, ita tantum in *ὀρθὴν δόξαν* cadere, si firmitate careat; firmitatem autem non tantum *αἰτίας λογισμῷ*, ut in Menone est, sed etiam divinitus contingere Politici locus tam clare profitetur, ut nihil falsius inveniri possit, quam si quis eam virtutem, quam quis divinae sorti debeat, eodem loco habeat cum ea, quam exercitando consecutus fuerit, hanc enim neutiquam firmam et indelebilem esse primarius locus Reipubl. X, p. 619 C satis ostendit[79]). Illud tantum concedimus inter virtutem philosophia comparatam et divinitus datam interesse, ut illa interno, haec externo firmamento nitatur, quod etsi ad exitum rei idem sit, ita tamen differt, ut in philosopho simul etiam inter agendum cernatur, in altero ipso demum exitu appareat, illiusque singulas actiones ratio et consilium comitetur, hujus autem constantia post peractam demum vitam existimari possit; unde etiam illud explicatur, quomodo Plato militum in re publica sua virtutem, quae *ὀρθῇ δόξῃ* continetur, *πολιτικὴν* nuncupare potuerit[80]), eosdem tamen mortuos *θείους* et *δαιμονίους* appellet[81]), ac licet fortitudinem, quae metu excitetur, inter simulacra tantum virtutis posuerit, ipsum tamen metum, qui eam excitat, utpote divinitus immissum, *θεῖον φόβον* dicat[82]). Quamvis enim divinitus regantur, homines ipsi, si quidem ratione carent, umbrarum instar oberrantes opinatione tantum uti videntur, quae utrum divino numine confirmetur an humana tantum conjectura viam praetentet, exitus demum docere potest, tantumque abest, ut contra magistri sui sententiam[83]) homines otiosos divinam opem exspectare jubeat, ut quemadmodum ille nihil gratius diis facturos censuit, quam si exercendo et discendo rerum sibi usum compararent nec fortunae sed rationi se resque suas committerent[84]), ita et ipse neminem propius quam philosophum ad eos accedere statuat[85]); idem tamen quum ab omni memoria vel in corruptissimo rerum publicarum statu exstitisse videret, qui quum virtute, integritate et solertia inter aequales excelluissent, tum eam recte agendi constantiam exhibuissent, quae neque exemplis neque exercitatione sola explicari posset, nihil restabat, nisi ut quod philosophiae in illis tribui non liceret, ad divinum numen sortemque plus quam humanam referret, idque ne quis eum per simulationem et risum fecisse cum Morgensternio inde colligat, quia in Menone de Atticis potissimum hominibus sermo sit, de quibus alibi non admodum honorifice sensisse videatur, eodem modo etiam de Lycurgo judicat[86]), cujus prudentiam et felicitatem in republica constituenda et Socratem et Platonem semper maximi fecisse constat. Quae si recte disputavimus, hoc profecto extra dubitationem positum arbitramur, quidquid in nostro dialogo Plato reprehendat, in eos quos *θείους* appellet ipsos nihil reprehensionis nedum ludibrii aut cavillationis cadere, sed illuc tantum pertinere, ne quis hac ipsa illorum praestantia seducatur, ut aliquid inde disci virtutisque doctores haberi posse censeat; quae enim in iis miremur, ipsis tantum divinitus data fuisse neque humano arbitrio aliis tradi posse; eademque poëtarum causa est, quibus quum Plato videret aequales suos ita abuti, ut non tantum puerilis institutionis argumenta inde sumerent, sed omnis doctrinae semina carminibus eorum contineri arbitrarentur[87]), multosque eo insipientiae procedere, ut si quis Homerum memoriter teneret nulla amplius disciplina indigere sibi videretur[88]), ipsi autem poëtae poëtarumque interpretes sua arte omnium rerum facultatem contineri jactarent[89]), hoc ipso consilio divinos appellavit, ut carminum praestantiam ab hominum merito sejungeret

---

77) Republ. VII, p. 518 E. — 78) Legg. II. p. 653 A: *φρόνησιν δὲ καὶ ἀληθεῖς δόξας βεβαίους εὐτυχὲς ὅτῳ καὶ πρὸς τὸ γῆρας παρεγένετο· τέλεος δ' οὖν ἐστιν ἄνθρωπος ταῦτα καὶ τὰ ἐν τούτοις πάντα κεκτημένος ἀγαθά.* — 79) Ubi illud quoque nos advertit, quod eum qui *ἔθει ἄνευ φιλοσοφίας* virtutem nactus sit, *ἐν τεταγμένῃ πολιτείᾳ* vixisse ait, quos autem *θείᾳ μοίρᾳ* bonos fieri dicit, ad corruptas pariter ac sanas res publicas refert, cf. Legg. XII, p. 951 B. — 80) Republ. IV. p. 430 B; cf. Acta Soc. Gr. p. 7. — 81) Republ. V, p. 469 A. — 82) Legg. II, p. 671 D. — 83) Xenoph. Mem. I. 1. 9. — 84) Ibid. III, 9. 14 et 15. — 85) Republ. VI, p. 500 D; cf. Alcib. I, p. 133 C, Theaetet. p. 176 B, Sophist. p. 216 B etc. — 86) Legg. III, p. 691 E: *φύσις τις ἀνθρωπίνη μεμιγμένη θείᾳ τινὶ δυνάμει.* — 87) Protag. p. 325 E; Republ. X, p. 598 E; cf. Jacobs academ. Reden p. 288, Ulrici Gesch. d. hellen. Dichtkunst T. I, p. 185, Kreuseri Homer. Rhapsodea p. 131 etc. — 88) Xenoph. Sympos. III, 5 et IV. 6. — 89) Plat. Apol. p. 22 D; Ion. p. 531 sqq. —

neque ex illorum perfectione aliquam horum indolem et facultatem ad alios docendos colligi debere demonstraret. Ipsius vero Menonis argumentum disputationisque seriem quod attinet, omnia recte sibi constabunt, modo recogitemus illud quod Plato identidem contendit, virtutem si scientia contineatur doceri posse, ipsis extremis verbis confirmari, ubi eum qui virtutem suam aliis tradere possit, Tiresiae instar inter multas umbras unum sapere ait, conditionem autem, unde virtutis doctrina pendeat, nusquam negari, sed quum tot virorum exempla nota sint, qui quum ipsi virtute non caruerint, eandem tamen ne filiis quidem suis relinquere potuerint [90]), aliam tantum viam monstrari, qua et ipsa singulis ad virtutem pervenire liceat, illius vero quaestionis tractationem, quae ad veram virtutis indolem pertineat, in aliud tempus differri; quod si nihilominus virtutem a doctrina sejungere videtur, hoc ad alteram tantum viam spectat quam accuratius tractavit, alteram, quae in scientia posita est, omnino non excludit, nec de futuro tempore, sed de praeterito et praesenti agit, quo nihil magis curandum erat, quam ne quis externa specie inductus pravis se magistris crederet. Sed haec ab interpretibus satis jam explicata sunt neque longiore explicatione indigent; nobis illud tantum propositum erat, ut dialogum nostrum nec casu et caeca aliqua opinatione virtutem acquiri docuisse nec divino nomine ad ludibrium et cavillationem abusum esse ostenderemus, quo facto et reliqua omnia facilius coram expedientur et hoc certe statim ab ipso scholarum limine Vobis persuasum erit, Platonem scientiae honorem et divini numinis reverentiam ita conjunxisse, ut etiamsi diversis viis incederent, eundem utriusque exitum esse doceret; quod autem eos qui sola divinae sortis benignitate ad virtutem pervenissent, caecis umbris assimilavit, tantum abest ut irreverenter dictum existimemus, ut Vos quoque, Commilitones humanissimi, quanta possimus contentione adhortemur, ne in iis quae uni alterique Vestrum divinitus contigerint acquiescatis, sed cogitatione et doctrina eo evehatis, ut omnium rationem reddere et quae Vos sciatis etiam cum aliis communicare possitis; nam hunc demum verum bonorum quae quis habeat fructum esse inter omnes constat.

P. P. Marburgi Idibus Sept. MDCCCXXXVII.

---

90) Meno p. 94 A—D; cf. Protag. p. 319 E, Alcib. 1, p. 118 E et Groen van Prinster. Platon Prosopogr. p. 128 sqq.

I. LECTIONES ORDINIS THEOLOGORUM.

CAROLUS GUIL. JUSTI, ord. leonis aurei Hassiaci eques, phil. ac theol. Dr. et prof. publ. ordin, coet. Lutheran. per Hassiam superiorem superintendens, Augustissimo Electori in regimine et senatu ecclesiastico a consiliis supremis, et ad aed. paroch. pastor primarius, 1) *publice* h. I – II. selecta *Jobi* capita; 2) *privatim a*) h. X–XI. quinis per hebd. diebus *epistolam Pauli ad Romanos*, nec non *epistolas*, quas vocant *pastorales*, *b*) h. II – III. *Jesaiae oracula* interpretabitur.

HERMANNUS HUPFELD, philos. et theol. Dr. hujusque ac lingg. orr. P. P. O. seminarii Philippini ephorus, *privatim Psalmos* interpretabitur quinquies p. h. h. II.

CHRIST. FRID. KLING, philos. ac theol. Dr. hujusque P. P. O., ord. theol. h. a. decanus, 1) *privatim a*) *historiam ecclesiae Christianae antiquiorem* enarrabit quinis diebus h. III, *b*) *Pauli ad Corinthios epistolas* interpretabitur senis diebus h. X., 2) *publice historiam ecclesiae Christianae recentiorem* a saec. XIV. enarrabit senis diebus h. VIII.

JULIUS MUELLER, theol. Dr. et P. P. O., 1) *privatim a*) quinis per hebd. diebus h. IX *theologiam moralem*, *b*) totidem diebus h. XI. *priorem theologiae practicae partem* (catecheticam, liturgicam, theoriamque specialis animarum curae) tradet; 2) *publice societatis homileticae exercitationes* die Saturni h. II—V. sueto more moderari perget.

II. LECTIONES ORDINIS JURECONSULTORUM.

EDUARDUS PLATNER, ord. leonis aurei Hassiaci eques, Augustissimo Electori ab intimis aulae consiliis, J. U. D. et P. P. O., facult. jur. h. a. decanus, 1) *privatim a*) quaternis diebus h. IX *jus naturae* tradet, *b*) senis diebus h. III *Hugone* duce *historiam juris Romani* enarrabit; 2) *publice* diebus Merc. et Saturn. h. IX *librum quartum institutionum Gaji* interpretabitur.

EDUARDUS SIGISMUNDUS LOEBELL, ordinis leonis aurei Hassiaci eques, jur. utr. Dr. et P. P. O., facult. jurid. adsessor ord, 1) *privatim a*) quinis diebus h. X. *jus criminale* duce *Feuerbachio* tradet, *b*) senis diebus h. XI. *institutiones juris Romani* duce *Konopakio* enarrabit, *c*) quat. diebus h. II. *encyclopaediam et methodologiam juris* duce *Falckio* docebit; 2) *publice* die Merc. et Sat. praelectiones *de jure hereditario* continuabit.

SYLV. JORDAN, phil. et jur. utr. Dr. hujusque P. P. O, facult. jurid. adsessor ord., 1) *publice disputatorium* de variis juris universi controversiis, Latino sermone usurus, die Sat. h. I. continuabit; 2) *privatim* vero *a*) *jus publicum tam universale quam Germanicum* ad librum suum sexies h. IX. docebit, *b*) *jus feudale*, *Paetzio* duce, quater h. X., *c*) *jus gentium*, ad *Klueberum* respecturus, quinquies h. XI. et *d*) *processum criminalem*, ad *Muellerum* respecturus, quinquies h. II. tradet.

END OF TITLE